CELSITUDINI SUAE IMPERIALI ET REGALI ANNAE MARIAE A SAXONIA CONIUGI DILECTISSIMAE...

Nicola Boscero

CELSITUDINI SUAE IMPERIALI ET REGALI

ANNAE MARIAE A SAXONIA

CONIUGI DILECTISSIMAE

CELSITUDINIS SUAE IMPERIALIS ET REGALIS

ARCHIDUCIS FERDINANDI

HETRURIAE MAGNI PRINCIPIS HAEREDITARII

EULOGIUM

IISDEM PRORSUM VERBIS

QUIBUS PER ATRAMENTUM IMPRESSUM EST PERGAMENO

ATQUE IN ARCA OCCLUSUM

NEAPOLI EX REGIA TYPOGRAPHIA MDCCCLIX.

IN PACE LOCUS EIUS

Celsitudo Sua Imperialis et Regalis Archidux Anna Maria, Hetruriae Princeps Haereditaria, dilecta Soboles Nominatissimi Ioannis Nepomuceni Saxoniae Regis, Saxoniaeque Reginae Amaliae Augustae Filiae Maximiliani Iosephi olim Bavariae Regis, Dresdae pridie nonas Ianuarias A. R. S. MDCCCXXXVI in vitam ingressa est, inibique virtute et venustate adolescens, VIII kal. Decembres anni MDCCCLVI nupsit Celsitudini Suae Imperiali et Regali Archiduci Ferdinando, Magno Iuventutis Principi Hetruriae, pari tam sua, quam Maiorum gloria praeclarissimo. Ex hoc connubio unicum idque germani amoris carissimum extat pignus, nimirum puerula Archidux nomine Maria Antonia Leopolda Annuntiata Anna Amalia Iosepha Ioanna Immaculata Thecla, quae nata IV idus Ianuarii anni MDCCCLVIII vultu pacatis-

simo Matrem reddit, atque animo etiam fore reddituram abs antiquiori spectata Procerum probitate divinatur.

Vix Neapolim praestans Archiducis Uxor cum Imperiali et Regali Familia pervenit, ut Celsitudinis Suae Francisci Mariae Leopoldi Principis Iuventutis in Regno Neapolitano solemnioribus interesset nuptiis, proh dolor, ex graviori febri quae nervos tentavit, die nono et decimo a prima invaletudine exantlato, IV idus Februarii volventis anni MDCCCLIX, hora autem astronomica ante meridiem decima, exacto aetatis suae anno tertio et vigesimo, vitam hanc cum immortalitate in osculo Iesu Crucefixi commutavit. —

En paucis defletae Archiducis Effigiem non uno quidem opisthographo cohonestandae.

Ingenio docilis; morum lenitate facilis; Germanica, Anglica, Gallica, Itala linguis eruditissima; musices, artiumque, quibus optima quaeque mulier praefulgeat, egregie perita; tum in Coniugem affectu tenera, in Huius Parentes obsequio spectabilis; Christianarum virtutum, praesertim Fortitudinis in Catholica Fide, peristylio munita; et peculiari animae bonae, quam sortita est, praerogativa, velut Angelus emicuit. Olli ea fuit maie-

stas cum comitate, ut totius Imperialis et Regalis Domus vocitaretur Delicium, totiusque Hetruriae nimiam quantam sibi adsciseeret benivolentiam: ea denique (id quod inter muliebres dotes caput est) in Virum Suum circumspecta consilii ratione excelluit, ut sive domi sive alibi Ipsum morantem vere summa afficeret laetitia, nempe quod Ferdinandum suum Anna Maria amore perenni recoleret.

Cum ingravescente morbo sensibus destitueretur, ab inexpugnabili lethalis somni necessitate, voce Viri Adfiniumque lacrimabili excitari, cupidis absentem Filiolam oculis quaerere, nominatim compellare, haud reperta, ingemere, Iesum Crucefixum adspicere! quiescere! mori! – en in brevi loculo magnarum virtutum supercilium.

Plausus atque hymnos ex Regio Connubio Neapoli gliscentes excepit moestitia, luctus, lacrumae: et publicam veluti iacturam, deflent Archiducem illius Mariae Amaliae Progeniem, quae filia Regis Saxoniae et Poloniae XIV kal. Iunias anni MDCCXXXVIII nupsit Carolo Borbonio Utriusque Siciliae Regi: et Neapoli, ad Arcum quod Mirellium audit, anno MDCCXLVI Ecclesiam Monasteriumque Carmelitarum Excalceatarum Regia posuit magnificentia; ideoque ipsam Ecclesiam Patronatus

Borbonum Saxoniaeque inter innumera Caroli monumenta laudat historia; illius inquam Amaliae, quae III idus Septembres anni MDCCLIX Hispaniarum Regno cum Coniuge suo affulsit.

Quis igitur in praesentiarum Hetruriae erit dolor, ubi Eius Nomen integrae manebit memoriae in aevum? quinam infinitus Consanguineorum Adfiniumque moeror? quae et quanta Dilecti Viri Sui maximo Amantissimae Coniugis desiderio extempore desolatio?

O Princeps Fernande, polo micat Anna Maria:
Huic fuit alma Fides, Spes cita, vivus Amor.
Te moestum carosque suos solatur ab Alto,
Illinc Hetruriae praesidium atque decus.

Neapoli idibus Februarii A. D. MDCCCLIX.
Composita in hoc conditorio Christiana Fide Immutationem expectat.

IN PACE IN IDIPSUM.

NICOLAUS CANONICUS BOSCERO
In privata M. S. FERDINANDI II. Bibliotheca
Vice-Bibliothecarius.